



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv**

**More, Henry**

**Avdomari, 1660**

Fructus ex solemnitate Beatificationis SS. Ignatij & Xauerij. n 4.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38320**

1622.

nemo nisi ipsâ horâ qua primò conueniendum erat quidquam de loco sciret vbi erat conueniendum; tum verò per fidos hinc inde dispositos nuntios bini vel terni introducebantur, & eodem ferè numero, non turmatim, soluto cætu discedebant; Cumque præcipua & necessaria tres tantum quatuorue dies occupent, si metus sit nè in vulgus emanet diuturnior concursatio, faciliè sine præiudicio Instituti dimittitur conuentus; si nullus sit metus, exiguus in populum sermo, prorogatur; quæ securitas à suspicione fecit, vt alijs annis in conductis illustri alicuius viri aut fæminæ ædibus conuenirent, nullo vel non existimando discrimine. Eo in conuentu electus est *Henricus Silisdonius* qui negotia Prouinciæ Romæ promoueret. Et ne obesset domorum Collegiorumve penuria, Tres Residentiæ certis assignatis redditibus exeunte Nouembri Collegiorum sortitæ sunt priuilegia; & Londini quidem domus Probationis Sancto Patri *Ignatio* dicata est; quæ deinde, vbi Angliæ regnum ad sedis Apostolicæ obedientiam redierit, eo regni loco quem Generalis elegerit locari possit, ibique vel Probationis domus manere vel in Collegium mutari, nullo vnquam tempore è regno Angliæ transferendum; Fundatorum prærogatiuis seu titulis ac suffragijs quæ in Constitutionibus decernuntur, ijs integrè reſeruatis qui fundationem ita auxerint vt ea mereri iudicentur. Quibus fere conditionibus Collegium erectum est in Wallia sub Patrocinio Sancti *Xauerij*, & aliud in tractu Staffordiensi, seu Lancaſtrenſi à Beato *Aloyſio* nuncupatum. Quæ domus (vt nunc sunt tempora) non certis ædificijs, sed Personis, annuâ attributâ pecuniâ constare intelligendæ sunt, quæ à Rectore administrata cedat in vsus eorum qui illi commissi sunt Sociorum; quanquam & alicubi possessiones & domus & agri habeantur obnoxij.

Tres Resi-  
dentiæ in  
Collegia  
commuta-  
tæ.

Ex solem-  
nitate be-  
atificatio-  
nis SS.  
Ignatij &  
Xauerij  
quis fru-  
ctus.

I V. Tractabat hoc tempore Iacobus Rex Angliæ conubium Caroli Principis cum Catholici Regis sorore quæ deinde Ferdinando tertio Imperatori feliciter nupsit. Ea occasione mitius aliquamdiu actum est cum Catholicis, & quadringenti numerati sunt eo anno ab hæresi ad Catholicam traducti. Licuit etiam Beatos *Ignatium* & *Xauerium* in Beatorum album recenter adscriptos solempni apparatu quibusdam in locis non sine musico concentu celebrare; Qua ex ceremonia alteri rei familiaris, alteri spiritualis obuenit utilitas. Illi lis fuerat cum homine hæretico permolesta & diuturna, & in qua varijs deuoratis iniurijs, reque domestica non leuiter accisa nullum explicando negotio exitum reperiebat: Aduocauit suæ causæ seu Patronos, seu Arbitros Sanctos *Ignatium* & *Xauerium*, & quo die ea agebatur celebritas rem illis vnâ cum cæteris domesticis commendauit euentu secundissimo; Etenim eo ipſo vertente die Hæreticus aduersarius longiusculo confecto itinere aduolat, postulat decidi litem; facta est compositio & concordia conditionibus Catholico percommodis.

Alter in grauissimorum scelerum sordibus obsoleuerat, & aberat proximè à malorum vltimo desperatione: sacram Exhomologesim sapius sed sacrilegè



crilegè vsurparat, inde mortem accersens vnde erat haurienda vita: Intererat celebritati Sanctorum: Horum dum nouum sibi patrocinium implorat, veterum peccatorum subeunte memoria & horrore, spes simul veniæ ijs adiuantibus affulsit, quâ fretus, subactò pudore noxio, ad Sacerdotis pedes vbericum fletu grauem peccatorum sarcinam deposuit; acceptam Sanctis referens gratiam, & Dei in se benignitatem memori mente deprædicans. Atque vt sunt mille ad deuiandum viæ, non sanè pauciores sunt Deo rationes & modi quibus quos seruare decreuit attrahit, & non parum admirandi.

Vixerat quidam annos fere triginta Lutheranæ hæresi deditus quàm à parentibus hauserat, neque de Catholicorum decretis quidquam inaudierat; vrgebatur interea frequentibus stimulis vt Religionem sua saniolem rationiq; congruentiorem inuestigaret; qua in cura à Luthero ad Caluini dogmata tanquam è fumo in flammam migravit: At hîc acrioribus punctis aculeis, per quæ annos viginti in densa caligine impingens lapsusque, nullam quietis partem reperiebat. Vno paulò amplius anno ante obitum dum multâ nocte domum repetit, labitur in altum canosumque puteum, à vicinia tam dislitum vt spes omnis auxiliij exclusa videretur: itaque cæno immerfus, quod reliquum erat, intenta voce precabatur Detum vt non sineret ex eo puteo in tetriorem inferni agi præcipitem: exciti clamore occurrunt oppidani aliquot, portenti loco habent vocem humanam è loco tam disiuncto audiri potuisse; hominem funibus extractum deducunt domum: nihilo secius in Calvinismo is perstitit posthabitâ Catholicâ Religione ad quam aliquot iam annis fenserat se diuinitus impelli. Anno altero rursum de nocte reuertens, fallente vestigio impingit in tranuersam arborè, grauitèrque collisus de vita periclitatur: Id saluti sempiternæ fuit; adit illum ex nostris vnus tam cupidus tribuendi quam alter accipiendi auxiliij, neque fuit difficile anhelantem iam ad Catholica instituta, & de erroribus pristinis dedocere, & consuetis Sacramentis ad constantiam munire, quibus resectus læto animo atque ad spem immortalitatis erecto migravit è vita.

Alteri aliquot iam annis suorum conscientiam delictorum assiduam monitricem vix toleranti, ægro corpore curisq; dum noctem ducit in somnè, apparet Sacerdos recens vitâ functus, quicum vsus olim ac familiaritas fuerat, eo habitu amictuque quo viuus incesserat, astansque decumbentis lecto hortatur ad pœnitentiam, & è conspectu se aufert: Tam magnam tamen illi malus dæmon ingessit sacræ Confessionis horrorem vt volens ac prudens biennio toto abstineret. Tum dormienti rursum Sacerdos se offert, experrectum grauitèr increpat quod surdas monenti aures præbuisset, atque æternæ mortis metum injiciens nisi dicto sit audiens hominis animum emollit; percussus seuera denuntiatione adit Sacerdotem nostrum, & omnes præterita vitæ noxas haud dubijs veri doloris argumentis abstergit.

Catholicus alter moriens vxori hæreticæ seuerè mandauerat vt ocys hæresim eiuraret si salua esse vellet: Promisit illa quidem, at aliam ex alia necessebat

Alia diuinitus  
neq; misericordie  
empla.



1622.

moram, fallenti similior quàm promissum exsolutura. Interea singulis noctibus inde à mariti obitu in eo cubiculo ubi decesserat frequens audiebatur pulsus parietum magnò cum domesticorum terrore, mulieris præsertim, quæ hoc veluti signo commoneri se non dubitabat vt promissi fidem solueret; quam vt seruare decreuit, atque accito Sacerdote nostro se expiasset, ac Sacrosanctâ muniuisset Eucharistiâ, tota illa nocturna molestia conquieuit.

His adnumerardus venit Sacerdos Apostata qui annis plus viginti sacræ dignitatis oblitus fidei hostibus operam nauarat Sacerdotibus quos nouerat prodendis, Catholicis per omnes fere Angliæ Prouincias expilandis: Accedebat sacrilegi connubij (quod huiusmodi hominibus solemne est) cum bonorum omnium offensione publica infamia; quibus in flagitiorum sordibus impunè vagantem Dei miseratio non deseruit; nam scelerum conscientiæ, quâ non infrequenter stimulabatur, corporis afflictionem addens, propter flagitia coniectum ab ipsis hæreticis in custodiam, morbo grauissimo prostrauit: Hinc aucto præteritæ vitæ horrore ex vicinitate futuri, si non respisceret, æterni supplicij, quantumuis Catholicorum iuxta atque hæreticorum odio laborantem, Sacerdos noster aggreditur, & sacra exhomologesi volentem expiat; tum morbo simul & carcere solutum piorum collectis elemofynis animat ad fugam ex Anglia capeffendam: Ille rectâ Louanium profectus, eo in Collegio pijs exercitationibus dies aliquot fructu non penitendo insumpsit, ac publicè deinde hæresim vitamque veterem detestans, auctoritate Apostolici Nuntij ab Ecclesiasticis execrationibus censurisque absolutus est, & sacramentis (necdum tamen sacris nisi aliquot post annos) restitutus.

Patrum ex  
Gardenfi  
domo la-  
borea.

V. In Gandensi domo vix iusto numero conuenerant Patres ad tertium Probationis annum aulpicandum, cum latus apertus est campus siue ad patientiam vniuscuiusque exercendam, atque exerendam industriam, siue ad vitam propriam alienæ salutis causâ periculo offerendam. Soluta obsidione Bergensi atque exercitu Catholico Hyberna petente, Illustrissimus Baro Vauxius de fide Orthodoxa publicè meritis, qui non ita pridem ex Anglia cum militum manu venerat in Castra Catholici Regis, iussus est hyemandi causa in vicina Gaudauo loca cum suis concedere, copijs tribus in oppidis, Teneramonda, Alosto, & Gerardi montibus ita distributis vt fermè quingegi in singulis milites confederint, magnam partem hæretici prout exierant Anglia, exceptis Centurionibus signiferisque Catholicis. Et Teneramondæ quidem duo è Societate, qui Baronem ex Anglia fuerant secuti inter eius loci cohortes strenuam ponebant operam. Alostum duo euocati Gandauo, cum multos reperissent contagioso morbo extinctos, plures in Nosocomijs extabescentes, prouidère primo nè corporibus quidquam decesset ad medelam; inde gradu facto ad animas sanandas, ex quadraginta, quos deinceps mors abstulit, nemo vnus nisi Catholicis munitus Sacramentis decessit, inter valentes nihilo segnus opera collocatâ, vt centum circiter ex hæreticis

incom

1622

reticis